



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

4. Diocletiani superbia itidem à vermibus castigata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

uterque, quàm infami morte perijt? illum pediculi, hunc illius nepotem repentina similis percussio, & subitum de cælo exitium sustulerunt. Quare in illum sic iuvenes lusimus.

*Es Dux, es Imperator, esq; legatus.*

*Optare quid vis amplius? Negas isthac?*

*Indusium inspice, copias tuas cernes.*

Alter autem Herodes vestitus veste regia, cùm sedens pro tribunali, summa lubentia audiuisset populum acclamantem: *Dei voces* & non hominis, itidem de sede graduq; deiectus superbiam condignè luit: nam *confestim percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo: & consumptus à vermibus expirauit.* Ita minutissima animalia in grandes illos vel Dei simios, vel persecutores immissa sunt, vt supercilium ponere, & cristas vel inuici demittere cogerentur, si à vilissimis bestiis deuorarentur, qui se ipsos Deos facere conabantur. Hoc superbiæ remedium etiam D. Chryso-  
stomus dedit, cùm dixit: *Pensa naturam nostram, ex quibus constat, & quòd desinit. Cogita, cùm dormis, quo sis dignus: nonne vel minima bestia te posses interimere?*

AG. 12: 279

S. Chryso-  
stom. 49. ad  
pop. Antio-  
chen.

IV.

Carol. Sigon:  
lib. 1. de oc-  
cid. Imp. An-  
Dm. 297. ex  
Niceph. l. 7.  
cap. 20.

Diocletianus Imp. post triumphum de Persis actum, hanc tantam felicitatem, tamq; prosperum fortuna obsequium capere animo non potuit; siquidem moderatione prorsus in superbiam versà eo vsque insolentia prodijt, vt se posthac, mortalitatis oblitus, tamquam Deum adorari valuerit. Nam proijcere se homines venerabundos, atque osculum pedibus figere pati cepit, & gemmas vestibis calceiq; inseruit; cùm ante ipsum omnes Imperatores consulari tantùm salutatione contenti fuissent, solam chlamydem purpuream priuato habitui adiecissent. Is autem, vt ait Nicephorus, diuinis expetitu plagis, toto primùm corpore tumorem ingentem concepit, quo deinde varie disrupto, lentè ita emarcuit, vt blasphema eius & impia lingua, que iniquitatem in alium euomuerat, intra fauces ipsas vermium vim proferret, qui ex ore illius prorepentes fetore pessimo locum habitationis omnem reprobant. Postremò autem, more canis, quàm maximè latrans, sceleratam & nefariam cum violentia quadam exhalauit animam.

V.

Ne quisquam sceptrà adoret, aut reges Deo æquet, ecce vel Imperatores viui à vermibus cruciantur, & purpurati Principes facti sunt pediculosi; vt non solum despiciantur, verùm etiam ve-

Y y

lut ca-